QVAESTIO MEDICA

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE AGITANDA IN SCHOLIS MEDICORVM DIE IOVIS V. MARTII M. CAROLO BOVVARD DOCTORE MEDICO MODERATORE.

681.

An Dysentericis adstringentia?

SENSIBVS obuia, vniuersalia, speciosa, vulgus respicit, cætera despicit. Euidentes causas, symptωmata sola nouit, culpat, insectatur; at frustra, effectus pro causis, vmbras, signa pro corporibus, riuulos pro fontibus. Externis causis sola declinatio; symptωmatis (omnibus à morbo) remedia nulla. Occulta, particularia, vilia peritiorum sunt. Interna perquirunt artifices, emendant, amandant solis contrarijs. Annon symptωmata causarum vicem gerunt? Audacioribus numquam, adulatoribus semper, esto verò prudentioribus aliquando; noxia nihilo secius sunt vbique celeriter eliminanda, inutilia educenda, vtilia promouenda. Naturalis & critica omnis arte perficienda excretio, symptωmatica solâ causæ castigatione remouenda. ADSTRINGIT symptωmaticus, laxat medicus.

AIMATΩΔΕΙΣ sanorum dysenteriæ, vernæ, æstiuæ, periodicæ, vt & quæ eas supplent choleræ, hæmorrhagiæ, puerperia, menstrua, sanguis sectis 'artubus, vesicâ, promouenda omnia sunt, nec pœnâ capitali maniæ aut grauiorum coercenda. Si calamitosæ hepaticæ dysenteriæ, ϖελίπλυσιν ἐξέρυθρῳ, cui victus tenuissimus, si choleram, quæ lipyriam soluit, si diarrhoeam quæ hydropas, ophthalmias, si vomitum, quem alter sedat, reprimis, perimis. Prodeuntes succos συνεκχυμένων. Nullæ criticæ, nullæ symptωmaticæ cruentæ dysenteriç (symptωmaticas omnes euacuationes non dicimus inutiles) sanguine ex superioribus aut inferioribus ani venulis (hæmorrhoïdas sanaturus omnes tollat) etiam atro, splendente, aut limo sanguinis copiosiùs effluente, supprimendæ. Atrabiliariç, quæ sponte vel pharmaco vtiliter vacuantur, sinceræ deiectiones, æquabiliter prauæ licet perniciosæ, non intercipiendæ. Quæ sine causis & signis euanescunt præsentissima repentè damna inferunt. Noxia omnia impunè effluunt, noxiè retinentur.

DYSENTERIA vera symptωma deprauatç excretionis intestinorum, est minutula, frequens, torminosa, mordens, biliosa, glutinosa, ramentosa, ἰχωροειδής, & sæpe purulenta cum enixu egestio. Contumacia, periculũ, à complicatione causarum, magnitudine, cacoëthiâ, inflammationũ, humorũ, vlceris. Omnis est aut soboles aliorum morborum, aut primigenia; vtraque sæpe nequiorũ parens intercepta. Acutarum febrium, lienosorum, hepaticorum, lentiginosorum, sterilium mulierum, iudex interdum non tam æqua, quam sæpe furia νομώδης. Hepatitides, quibus icterus die sexto potest esse salutaris, non septimo; pleuritides, quæ ἄπτυστοι non omnes culpandç; peripneumonias, quibus dulcia; parωtides, in acutis omine infausto; rheumatismos, quibus vnica phlebotomia; sed & osphyalgias, varices, ischiadas cicurata tantum, non benè curata vel intempestiuè suppressa parit. Intestinorum rarior est inflammatio quam hepatis, lienis, mesenterij, sed grauior; licet incipiens sit eadem cum completâ, hçc tamen, non vt illa, sublatâ causâ cedit. An tenuiorum, an crassiorum, facile discrimen; profundius vlcus, exitialius; insanabile vbi carunculæ.

VTRIVSQVE inflammationis & vlceris parens quiuis humor, aduentitius à toto per hepar in intestina, innatus nutritijs partibus & intestinis, quidni & sanguis? varius omnium ac multiplex infarctus, omnis particeps lentoris & crassitiei, acrimoniæ, erosionis; liquidiora citiùs permeant, propelluntur, quàm vt vlcus inde, licet gyris spirisque intestinorum iuuentur. Otiosi, intemperati, humidiores, densiori habitu, graciliori, ætate prouectiores, aptiores. Potentissima est particularis tempestatum, & totius anni constitutio, suæ quæque ferax materiç dysentericç. Post australem aquilonia dysenteriam à pituita salsa profert, Borealis humores fouet, apparat, coercitos in adytis cuique suos, succedens austrina auget pituitam, feruida bilem & in vtrâque putredinem accendit, Inæqualis vipereos omnium morsus suscitat è latibulis. Autumnales longissimç, funestissimæ, quanto magis in pestilenti constitutione? In febre vehementi? dolore συντόνῳ? ἀποσιτίᾳ? grauiditate? pueritiâ? Omnis ab atra bile lethalis.

POTIOR esse debet cura communioris affectus, prioris, acutioris, grauioris, inflammationis, quàm humorum, quàm vlceris; Esto morbi momento generentur, causç longo tempore, inflammatio tamen celeriùs, vlcus tardiùs. Inflammationis dysentericç rarô solitariç ἡγεμονικῷ vnicũ phlebotomia, præmittenda & ad integram solutionem repetenda pleniùs (numquam ad lipothymiam) crebriùs pro iugi rheumate, partium conditione, morbi magnitudine, symptωmatum peruicaciâ. Enemata crebra, refrigerantia, pinguia, lenientia, anodyna. Diacodium somno, doloribus, viribus; opium calidum noxium, sic laudanum. Parcissimus victus, hordeata, iuscula; vinum venenum. Domitâ feritate catharsis blandior; præter folia orientalia, cassiam, & rheum, vix vlla idonea. Apage rheum vstulatum, spodium, quanto magis coralia? terras armeniam, lemniam? acerba? austera reliqua? Stypticis febris, vetus synathrismus nouo prouentu augetur, aggeritur, impingitur, aduritur, vlcus inuritur, effluxus vitiosus prohibetur, in sua principia per διαδρομὴν regeritur & corpus cohorte lethalium obruitur. Quinimò astringentibus vlcus comprimitur, diuellitur, mordetur, exasperatur, solis alioquin assumptis, si tenuiorum sit, vel iniectis, si crassiorum, tergentibus, desiccantibus, vreticis, demum consolidantibus varij gradus, cathçreticis numquam, persanandum.

Non ergo dysentericis adstringentia. 128



Proponebat CAROLVS GVILLEMEAV Parisinus, primarius Christianiss. Regis Chirurgus anno R. S. H. M. DC. XXVI.